



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De morosis. cap. ci.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

A Non lædas seruum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: non defraudes illum libertate. Seruo sensato liberi seruiunt. *Ecli. 7.*

Serui, obedite dominis vestris secundum carnem, cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, tanquam Christo, non ad oculum seruientes, tanquam hominibus placentes, sed tanquam serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum beneuolentia seruientes, sicut Domino & non homini: sciētes quod vnusquisque quod fecerit bonū, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber. *Eph. 6.*

Serui, obedite dominis vestris secundum carnem, non ad oculum seruientes, tanquam hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Dominum. *Col. 3.*

B Quodcunque facitis, ex animo facite, tanquam Domino & non homini: scientes quoniam à Domino accipietis retributionem.

Quicumque sub iugo sunt serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Dei & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant quia fratres sunt, sed magis seruiant quia fideles sunt, qui beneficij participes sunt. *1. Tim. 6.*

Serui, subditi estote in omni timore dominis vestris, non tantū bonis & moderatis, sed etiam dyscolis. Hæc enim est gratia apud Deum, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias, patiens iniuste. *1. Pet. 2.*

C *Serui quid autem, maxime qui sunt pij?
Heris amice seruiant illi suis.
Seruos herosque vita sola factitat.
Seruiuit: at nos Christus exemit iugo.*

*Na. in
Ter.*

DE MALIS SERVIS. CAP. C.



D ERVVS durus sermonibus non eruditur. Quamuis enim intellexerit, non tamen obediēt. *Pro. 29.*

Cibaria & virga & onus asino: panis & disciplina & opus seruo. Operatur in disciplina, & quærit requiē: laxa illi manus, & quærit libertatem. Iugum & lorum curuāt collum durū: & seruum inclināt operationes assiduæ. Seruo maleuolo tortura & compedes: mitte illum in operationem, ne vacet. Multam enim malitiam docuit otiositas. *Ecli. 33.*

Serui improbi ne verearis latera cruentare.

*Malorum seruorum est herile imperium reijcere, atque aduersus dominationem insurgere, eumque qui liber est, in eundem secum seruilem ordinem redigere.
Nullus ita insanit, vt seruus, qui domina aduersari non veretur.* *Na. Philo.*

DE MOROSIS. CAP. CI.



E Æ qui nullis sermonibus delectantur.

Cui assimilabo homines generationis huius? Similes sunt pueris in foro sedentibus, & alloquentibus se inuicem, ac dicentibus: Cantauimus vobis, & non saltastis: plorauimus, & non fleuistis. Venit enim Ioannes Baptista, neque manducans neque bibens: & dicunt, Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt, Ecce homo vorax & potator vini, amicus publicanorum & peccatorum. *Amos. 7. Luc. 7.*